

introitus portus civitatis de extraneis duas partes Rex habeat, tertiam Comes civitatis. In civitate vestra neminem Hungarorum, vel alienigenarum habitare permittam, nisi quem voluntas vestra expetierit. Cum autem ad vos coronandus, aut vobiscum regni negotia tractaturus venero, nemini civium vis inferatur domorum suarum, nisi quem dilectio vestra susceperit. Judicem inter vos et extraneos a me constitutum vobiscum in civitate sedulo commorari volo, nec eum extra urbem alias proficiscentem sui praecepto aut sigillo a vobis causa placitandi sequendum concedo. Si quis vestrorum per meum Regnum terra, marique negotia exercuerit, mihi aut alieni nostrorum hominum ex proprio commercio nullum persolvat debitum; obsides a vobis nullo modo recipiam, sed in curia nostra servire volentibus rogam impendam, et morandi sive discedendi ad suum velle, facultatem obtineant, nullamque super hoc molestiam inferam. Ac si forte aliquem dominium meum aggravare videbitur, et urbem vestram exire voluerit, secure cum uxore et filiis & familia et omnibus suis bonis quocunque sibi placuerit, eat. Haec autem omnia absque fraude et ingenio ad detrimentum civium vel civitatis in aliquo attinente observabo.

Sacramentum hoc a Rege et Archiepiscopo Muchia confirmatum est. Ego Bachiensis Archiepiscopus laudo & confirmo. Ego Martinns Agriensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Paulus Vesprimiensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Verblen Zagrabiensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Zacheus Tavar. laudo et confirmo. Ego Joannes Quinqueecclesiensis Episcopus laudo et confirmo. Ego Paulus Canadiensis laudo et confirmo.

Farlati Illyricum Sacrum T. III. p. 174. — Fejér Codex Dipl. Regni Hung. T. II. p. 118.

XXV.

Anno 1151.

**Belus Banus immediate post Regem in fronte diplomatis
Hungarici nominatur.**

Divina dispensante clementia, Geyse Rege regnante, anno quo Martyrius in Archiepiscopum est electus, Belo Bano existente, colloquii causa Regis ac totius Regni cum Duce Austriae habita est etc.

Originale in Archivio Abbatiae Szentmártonensis. — Monumenta Hungariae Historica. Vol. VI. Codex Dipl. Arpadianus Continuatus. Pestini 1860, pag. 60.